

tatur in Moralibus 1. *Potestas Civilis*, cuius **Maximum** est Majestas. 2. *Convenientia actionum cum lege*, quæ summa est, si actio præcise quadrat ad legem; remissior, si deficit. Sed & ex Transcendentalibus respectivis Necessitas huc spectat, quæ summa est eorum, quæ absolute non possunt non esse; remissior eorum, quæ secundum ordinarium cursum non possunt non esse: simpliciter autem Veritas, & Perfectio Maximi rationem profitetur. In notionalibus *minima* inter distantias graduum essendi est *Individuorum* ejusdem speciei; *maxima* vero esse videtur *generum* summorum. Ita in prosodia, cum primis penes Latinos, *maximum* est Syllaba *Longa*; *minimum* Syllaba *Brevis*, mediore nihil. Punctum impropriè minimum dicitur, quia nihil est nisi signum, finis, terminus, ipsumque subjecti potius quam prædicati rationem habet quando propo- nitur.

CAP. IV.

De Modo quantitatem exercite
definiendi.

§. 1.

Ad quæstionem, *quæ res sit?* respondemus, atque ita quantitatem exercitè spectatam definimus, vel *inchoativè*, vel *perfectè*. Et inchoativè iterum vel *absolute* vel *respectivo*.

Absolute definimus, & quidem velut inchoamenti loco, quantitatem

nudâ terminorum, seu positivè seu negativè conceptorum, connotatione, ut si ad quæstionem

B 3

quan-